

est, similiter si duplicare vult officium, si generalitas hoc agit; verum non licet cuiquam, si non est generalis congregatio, in voce orare. Sciendum est enim, quia potest in oratorio ponere illum librum, qui ibi legitur, solummodo.

Cap. LIII.

DE HOSPITIBUS SUSCIPIENDIS. *Omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiantur.* [Et] quia disposuerat, qualiter debeant fratres officium suum peragere orationis sive de his, qui in via, sive qui in opere sunt, et disposuerat de oratorio monasterii, necesse fuerat, ut diceret de susceptione hospitem, quomodo prius suscipiendi sunt, i. e. per orationem ducendi. Quia hospites propter illusiones debent duci ad orationem, ideo bene, postquam dixit de oratione fratrum et de oratorio monasterii, nunc subjunxit de oratione hospitem; ait enim : *Omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiantur* et reliq. Notandum est enim, quia non dixit tantum hospites, sed praemisit *omnes*. In eo, quod dixit *omnes*, videtur esse arduum et pene difficile, eo quod multi sunt hospites, qui ad monasterium veniunt. Sed isto modo potest intelligi, sive ideo dixit *omnes hospites*, quia tunc pauci veniebant, sicut Cassianus dicit in collatione et in vita patrum legitur, quamquam dicat S. Benedictus, nunquam deesse monasterio hospites; potest etiam unus aut duo intelligi venisse; nam tanti tunc forte non erant, sicut nunc, et secundum hunc sensum intelligebat Theudolphus:¹⁾ »Per Deum, si nunc adesset S. Benedictus, claudere illis ostium fecisset«. Sive altero modo intelligitur *omnes*, subaudis: quos potest in monasterium recipere, tanquam Christus suscipiantur, quia regula nil impossibile dicit. Sive solvitur haec ratio in intentione, de qua intentione omnes debent ita recipi hospites sicut Christus, quamquam non possunt omnibus ita servire, sicut Christo, sed paucis. Quasi interrogasset aliquis S. Benedictum dicens: Pater Benedicite,

¹⁾ + 821.